Argumentum
pro Veritate Religionis Christianæ
EX MIRACULIS
desumtum,

ab iis autem,
qui eadem ope Satanæ patrari contendunt
haud parum labefactatum,
Hac vero Dissertatione Theologicâ
nativo nunc robori restitutum,
Annuente summo Numine

PRÆSIDE
DN. JOH. ARN. NOLTENIO
Theol. D. & Prof. O.
Cœtusque Reformati Pastore Ordinario,
Fautore ac Præceptore suo omni observantiæ cultu æternum prosequendo,
Ad D. III. Eidus Novembreis
H. L. Q. S.
pro virili tuebitur Respondens,
CLAUDIUS JOH. TRINQUAND,
Hamburgens.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Typis descripsit JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZ.
clↃ lↃcc xiix.



Συν Θεῷ.

Dissertatio de Miraculorum auctore unico Deo O. M.

Caput Præliminare.

Scripti occasionem & scopum indicans.

§. I.



Nter præcipua sanctissimæ fidei nostræ firmamenta quibus Christianæ religionis veritas contra infidelium cavillationes asseri ac defendi potest, haud infimum locum obtinere *Miracula,* quæ primitus Prophetæ, dein summus Propheta ipse æternus DEI filius, tum & hujus auctoritate ac nomine Apostoli, primorum denique temporum fideles, frequenter ediderunt, nemo inficiabitur. Non de nihilo est quod passim sacras literas eo provocare videas, quodque ii quorum ministerio Deus ad patefacienda consilii gratiæ arcana usus est, non modo hac facultate miracula patrandi fuerint prædititi, sed & eorum testimonio in persuaden-

§.1. A miraculis recte petitur argumentum pro veritate religionis Christianæ.

dis ἀπίϛοις nixi ſint. Ita Deus Moſi fidem apud populum Iſraeliticum conciliat Exod. IV. 1--9. His Elias a vidua Sareptana *Vir Dei, per cujus os Jehova veritatem* loqueretur agnitus eſt 1. Reg. XVII. 24. Hoc κριτηρίῳ Nicodemus Chriſtum διδάσκαλον a Deo exiviſſe perſuadebatur, *quod nemo hæc ſigna edere poſſet, quæ ipſe faceret, niſi cum ipſo Deus eſſet* Joh. III. 2. Neque dubitavit ſervator ipſe, miranda quæ fecerat opera ut inſigne divinæ miſſionis ſuæ argumentum proponere Joh. V. 36. X. 37. 38. XIV. 11. Eandem demonſtrationis viam & Apoſtoli ſeqvuntur, inter veritatis teſtimonia ſubinde ſigna & prodigia memorantes Hebr. II. 4. & alibi. Hinc ſuo merito quoque, omnes quos quidem mihi legere contigit, Chriſtianæ veritatis πρόμαχοι, miraculis locum inter doctrinæ ſacræ fulcimina aſſignant, atq; his armis Atheos, Deiſtas, Judæos, Muhammedanos, omnesque veritatis Chriſtianæ hoſtes debellare ſatagunt haud infeliciter.

§. 2. Illud infringi videtur, ſi conceedatur eadem a Satana fieri, aut Spiritui ſeductori operanda permitti.

§. 2. Felicius autem, meo ſaltem judicio, his uſi fuiſſent, niſi ipſi qui hoc tibicine veritatem fulcire nituntur, argumenti iſtius robur infringerent, paſſim concedentes etiam Satanæ ac Pſeudoprophetis quandoque a Deo facultatem miracula patrandi indultam, idque ipſam Scripturam Sacram docere exiſtimantes. Præcipue in iis Scriptoribus id obſervatur, qui cum Pontificiis, fictitia ſua miracula ſemper jactantibus, & in iis cauſæ deſperatæ præſidium quærentibus, congreſſi ſunt; ut facili manu, Deum ad tentandum populum ſuum etiam per hos pſeudoprophetas miracula operari largiantur: ideoque non tam miracula, quam doctrinam ipſam cui confirmandæ iſta prodigia fiant, eſſe examinandam, ſæpiſſime inculcent. Multis Eccleſiæ noſtræ haud infimi nominis Doctoribus hanc animo ſediſſe ſententiam facili negotio poſſet oſtendi. In præſentia vero, ne copioſis horum ſcriptorum teſtimoniis lectori moleſtus ſim, unicum tantum appellabo Coccejum cujus inſignia in Eccleſiam ſunt merita, ſed cujus auctoritas hoc ſeculo noſtro nimium forte valet apud plurimos. Is in *S. Scripturæ Potentia* Cap. VII. ſæpiſſime Pontificiis largitur, Deum per vera miracula nonnunquam mortales tentare. Sic §. 39. *Non abnuit vera eſſe quæ de miraculis Capucinorum narrat Valerianus,* atque in iis *ſeveritatem Dei ſe adorare dicit, implentis quæ prædicta ſint Matth. 24, 24. 2. Theſſ. 2, 9.* Et §. 46. ait: *Miracula ſola, quæ Chriſtus patravit in diebus carnis, ſi non fuiſſent ſociata verba quæ Chriſtum oportebat loqui, non probarent*

rent nobis verum Prophetam. Idem §. 48. *Inconsiderantiam & lapsum* dicit quod Valerianus scripserat: *Si miracula eduntur in testimonium falsæ doctrinæ, facessat Jesus cum suis operibus, ego vel ero Judæus, vel Philosophus in puris naturalibus.* Quamvis vero §. 51. videatur Pontificiorum vaticinia ac miracula (ut decebat) pro imposturis habere; causam tamen hanc brevi deserit §. 52. dicens *Christum per quoscunque nominatum posse facere, & fortasse facere inter infideles miracula.* & post paulo addit: *Neq; ego putaverim indignius Deo ut tentet per proprium opus, quam per opus creaturæ; non magis quam Deus non indecore hominem facit ex occasione scortationis, aut permittit elementa moveri ad nutum Diaboli sævientis.* Quæ verba nollem magno huic viro excidisse. Hæc enim si concedamus, non video, causam nostram magnopere miraculis juvari, siquidem Deus optimus, suam etiam omnipotentiam Satanæ ejusque instrumentis commodet, ut per eam impii in errore detineantur. Neque perspicio, quam ob causam tam eximiis omnemque naturæ ordinem longe excedentibus operibus legatos suos comitari voluerit, si & Satanæ emissariis eandem facultatem, confirmandis mendaciis suis concesserit. Neque oportebat ut Pontificios debellemus, arma a Judæis mutuari, quibus nos ipsos jugulemus. Notum quippe est, hunc populum ἀπειθοῦντα & ἀντιλέγοντα, cum insignia Jesu nostri miracula negari nequeat, eadem vel incantamentis vel nominis ἀνεκφωνήτου nuncupatione patrari potuisse, Deumque hoc pacto populum suum tentasse, pertinaciter contendere. Quibus certe nimium concedunt illi ex nostris, qui vel Satanæ ope supernaturalia opera posse a Pseudoprophetis produci, vel Christum ipsum per quoscunque nominatum miracula facere, concedunt.

§. 3. Fateor, me nunquam satis hæc potuisse concoquere. Quotiescunque hæc meditatio animum meum subiit, toties miratus sum, hanc in Dei sapientiam ac bonitatem tam injuriam sententiam tot sequaces reperire, ut ferme inter receptas numeretur. Serio itaque examinandum esse ratus sum, quidquid & sacræ literæ & sana ratio de miraculis docent. Subductis calculis in eam concessi sententiam, quæ Deo soli veri nominis miracula tribuat, & utut fictis ac ementitiis signis ac prodigiis sceleratos in errore obdurari permittat, nunquam tamen ipse præter naturæ ordinem aliquid operetur, quod suapte natura ad excœcanda hominum ingenia destinatum sit.

§. 3. Itaq; hæc sententia rejicitur.

§. 4. *Non auctoritate sed ratione.* §. 4. Neque, ut spero, quisquam mihi dicam scribet, quod in re tam ardua tritam & ab omnibus ferme Theologis calcatam viam deseram. Veritatis Studiosi nudam eam amplectuntur, quamvis ab omnibus destituatur. Qui auctoritatis præjudicio moventur, eos hic non moror. Non omnes videmus omnia. Et si forte & mihi heic errare contingat, qui humani nihil a me alienum puto, non ero monitoribus asper; modo ne sola auctoritate aut quod pejus est conviciis pugnent. Ponderi argumentorum non numero oppugnantium lubens cedam Faciliorem autem ab æquis rerum arbitris me impetraturum esse veniam spero, quod solus sine Duce ac comite hanc viam ingressus sim. (a)

§. 5. *Dissertationis methodus.* §. 5. Sed ut ad propositam quæstionem revertar, cum ea non nisi Scriptura Sacra & ratione sana arbitris definiri queat; Primum ipsam Miraculi vocem rite describendam esse puto, ne de re ambigua inutilis sit disceptatio. Itaque quid sit veri nominis miraculum, quænam ejus κριτηρια, qui fines brevi demonstrabitur. His in clara luce positis, non tantum solo Deo auctore, sed nec aliter nisi finibus se suaque majestate, sapientia, ac bonitate dignis, fieri miracula ex ratione sacrisque docebo literis; atque hæc capite primo continebuntur. Alterum vero complectetur brevem objectionum considerationem, quibus frustra hæc veritas impugnatur. Neque de præsenti Dei auxilio dubito, cum ipse καρδιογνωστης norit, non alio fini hæc a me scribi, nisi ut istius nomen qui solus mirabilia facit glorificetur.

SECT.

(a) Ita scripseram ante quam ad manus meas pervenissent Cl. *Sam. Werenfelsii Dissertationes Theologicæ.* Impense autem mihi gratulatus sum, posteaquam a Cl. D. *Hermanno* Matheseos olim Patavii nunc heic Francofurti ad Viadrum Professore Dignissimo istius libelli mihi copia facta est, Theologum hunc celeberrimum mecum sentire, atque efficere ne solus hic incedam. Idem enim argumentum *Diss. V. Num Miracula certa sint Veritasis signa?* solide pertractavit. Et parum abfuit, quin hasce meditatiunculas meas supprimendas existimarem, ne Iliada post Homerum scriberem. Verum cum non uno ictu errores debellentur, & quædam accuratius hisce cogitationibus meis expensa sint, quæ Vir ille laudatissimus verbo tantum tetigit, non inutilem me veritatum sacrarum ruspatoribus navaturum esse operam arbitratus sum, si & hasce schedas doctorum examini subjicerem.

SECTIO I.

Sententiam nostram exponens & defendens.

§. I.

SI cum Christianæ veritatis hostibus mihi hic res esset, ante omnia demonstrandum mihi foret, talia opera quæ miracula vocantur vere facta fuisse, neque delirantium somniis, vel impostorum fallaciis, vel plebi denique credulæ, suos debere natales. Verum cum Christianis scribam, quos de veritate horum prodigiorum quæ sacris saltem clare narrantur paginis dubitare nefas est, cumque hoc argumentum jam a quamplurimis egregiis viris sit occupatum, qui Christi & Apostolorum miracula a Judæorum calumniis, Mosis autem & Prophetarum a profanorum cavillis, strenue defenderunt, labori huic secure supersedere possum. *§. 1. Veritas miraculorum præsupponitur.*

§. 2. Supposita itaque miraculorum *existentia*, ut cum Scholasticis loquar, eorum *essentiam* definire necesse erit, quæ quidem ex voce ipsa cognosci satis nequit. *Miraculum* enim id omne dicitur, quod in admirationem rapit, *Ostentum* vero *portentum, monstrum, prodigium,* quod aliquid ostendit, portendit, monstrat, prædicit. *Cic. de Divin. I. 42.* quæ cum ab hominum opinione nomina data sint, in rei ipsius veram cognitionem nos haud deducunt. Neque in solis quibus sacra Scriptura utitur vocibus multum præsidii situm esse putem ad rei naturam accuratius determinandam, cum אות Hebræorum in genere omne signum denotet, in medio relinquens an sit supernaturale nec ne, מופת quamvis aliquid portentosum sonet, non tamen, ut Cl. Cocceji verba mea faciam, *in eo semper spectetur admirabilitas ex parte potentiæ, sed etiam ex parte consuetudinis & decoris, quod insolitum sit & in oculos incurrat, dubitantibus spectatoribus, quare & quo consilio id fiat:* Neque ipsa נפלאות ac פלא quamvis maxime de mirandis Dei usurpentur, aliam nobis fere notionem ingerunt, quam rerum quæ captum nostrum excedunt, quarum vel causas vel modum vel fines ignoramus. Græca vocabula eandem fere habent ambiguitatem: σήμεια & τεgατα vocantur, quorum prius signum, alterum vero in- *§. 2. Quid sint miracula ex vocibus vix cognoscitur.*

 soli-

ſolitum aliquod exprimit; δυναμεις propiorem ad divinam operationem reſpectum habent.

§. 3. *Non omnia mira ſunt miracula.*

§. 3. Si omnia illa in Miraculorum cenſum referre vellemus, quæ ignorantes attonitos tenent, mirum in modum miraculorum numerus augendus eſſet, qui tanto major futurus, quo majori caligine mentes ſpectantium obnubilatas repererint. Sic vir doctus rudioribus eſt inſtar miraculi. Pii omnes, Chriſti ſubmiſſum imitantes animum, terrena ſpernentes, in cœlis πολιτευομενοι & in quibus obſervare licet illa εναντιοφανη, quæ Paulus enumerat 2. Cor. VI. 8. 9. 10. mundo haud immerito ſunt in ſigna & prodigia. Quin & omnes artes longius a vulgi cognitione remotæ, ſi quid inſoliti per illas præſtetur, ignorantes in ſtuporem vertunt, ut vel divini vel magici quid ſubeſſe ſuſpicentur. Artem pyrothechnicam vel typographicam ſi quis veterum aſſecutus fuiſſet, haud difficulter pro nnmine aliquo habitus eſſet, quod lepida fabula Friſchlinus quondam repræſentavit. Neque dubium eſt, eos, qui magicis artibus ſtupendos produxerunt effectus, inſcitia admirantium quam maxime abuſos fuiſſe. Ex hiſce tuto concluditur, non ex hominum captu metienda eſſe miracula.

§. 4. *Vera miraculi definitio ex S. Sacra.*

§. 4. Ex ipſa potius rerum natura haurienda eſt miraculi definitio, quam ipſæ nobis ſuppeditare videntur ſacræ literæ; Nicodemus illud deſcribit εργον vel σημειον ὁ ουδεις δυναται ποιειν, ει μη ὁ θεος ῃ μετ' αυτου Joh. 3. 2. Unde liquido colligere licet eſſe demum veri nominis miraculum, *Opus ex quo colligi poteſt Deum eſſe cum aliquo, quod non ſecundum ordinarias naturæ motusve leges aut ullis creaturæ viribus, ſed ſola* Παντοκρατορος *efficitur potentia, ad confirmandum voluntatis ſuæ teſtimonium.* Non equidem hæc definitio ad ſuperſtitioſam Scholaſticorum ακριβειαν concinnata eſt, quam paulo feliciora ſecula noſtra inter futilia referunt; non putem tamen majori me quam Sacrarum literarum auctoritate ad eam ſtabiliendam indigere, cum primis quod in hodiernorum Theologorum ſcriptis, eam pasſim adoptari reperiam, quamvis eam poſtea hoc ipſo aſſerto, quod confutandum mihi ſumſi, deſerant. Neque huic miraculorum deſcriptioni contradicit *Connor,* in *Evang. Medici,* definiens miraculum: Effectus productos per *ſuſpenſionem legum motus, a ſummo legislatore conditarum*, eo ipſo enim concedit haſce motus leges a nemine niſi ſummo legislatore ſuſpendi poſſe.

Reve-

Reverendisſimus Cantuarienſium Archi-Præſul Tillotſonius Orat. Sacr. Vol. 2. pag. 495. & 496. ad miraculum ſufficere putat *effectum illum excedere vires naturales creaturarum nobis cognitarum;* cum dignoſcere nos nequeamus, an opus aliquod ſtupendum virtute angelica, humana majore, an vero divina, productum ſit; cumque ſi miracula ſoli Deo auctori tribui deberent, incertum ſemper futurum ſit, quænam opera pro miraculis habenda ſint, nec ne. Sed hunc metum in ſequentibus excutiemus, neque propterea a Definitione miraculorum quam ſacræ dant literæ, nobis recedendum eſſe putamus.

§. 5. Ad hanc vero definitionem recte percipiendam duæ poſſunt inſtitui viæ, quarum neutra difficultate caret. Vel enim omnium creaturarum vires earumque limites nobis perſpecti eſſe debent, ut inde colligere liceat, quid naturæ motuſque leges ſuperet, nec ne: quantum creaturarum potentia vel ſingularum vel inter ſe junctarum valeat, quidve robur earum excedat: Vel examinandum nobis eſt, quid illud ſit operis, quod ſummum Numen tanquam ſibi privum & ſuum αυχημα ſibi vindicet. *§. 5. Definitionis explanatio.*

§. 6. Si quis priorem viam ingredi voluerit, omnium rerum creatarum vires, ac quibus definiuntur cancellos examinaturus, rem immenſi operis, ad quam nulla ætas nec ulla ſeculorum quamplurium experientia ſuffecerit, ſe aggredi brevi reperiet. Quotusquiſque enim eſt, qui tantum corporum ſublunarium, imo eorum quæ quotidiano teruntur uſu, naturam qualitates virtuteſque animo complexus ſit? Quot non quotidie nova veteribus ignota a curioſis naturæ ſcrutatoribus deteguntur, quæ iſti ſupra naturæ leges fieri crediidiſſent? Quot non deperditæ rerum naturalium ſcientiæ ab antiquitatis ſtudioſis denuo eruuntur? Multa ſunt, fateor, quæ noſtra ætas in apricum produxit, nec inutile eſt quod perveſtigandis natùræ mirabilibus impenditur temporis & operæ. Sed quis eſt qui vel centeſimam creaturarum corporearum partem ſe penitus perſpicere gloriari poſſit? Major oculos noſtros offundit caligo ſi Spirituum ſeu animorum ſeu mentium, ſubſtantiarum inquam rationalium virtutes metiri præſumamus. Ex arctisſimis equidem quibus mentis noſtræ potentia circumſcripta eſt finibus, aliquid de reliquorum hominum animabus, in eodem nobiſcum ordine poſitis, conjicere licet; Aſt ſi Geniorum aut Dæmonum naturam examinandam nobis propo- *§. 6. Ad eam intelligendam non opus eſt, omnium rerum creatarum vires pernoſſe.*

proponimus, rationem hic nos deſerere, ſacras literas quædam tantum quæ nos propius ſpectant declarare, multa vero in obſcuro relinquere inveniemus. Utut enim his Spiritibus vires etiam ingentes tribuat, finitas tamen eſſe debere & ratio & Scriptura clamat. Tot itaque ſalebris ac ſenticetis cum hanc viam, examinis creaturarum, obſitam reperiamus, in ipſo limine deſperabundi pedem referimus.

§. 7. Sed examinanda ſunt opera, quæ Deus ſibi ſoli tribuit

§. 7. Altera itaque calcanda eſt ſemita, quæ minus difficultatis habeat, quæque citius ad ſcopum noſtrum nos deducat. Examinanda ſunt, inquam, illa quæ παντοκρατωρ ſibi priva eſſe voluit opera, quæque niſi ipſo jubente a nulla creatura quantumvis potentisſima fieri ullo modo poſſunt. Talia multa eſſe Dei αυχηματα ipſo naturali docemur lumine. Exordium facerem a *creatione* ſeu productione rerum ex nihilo, quod certe opus ſoli Deo relinquendum, vulgare axioma clamat, quo *ex nihilo nihil fieri*, novimus omnes; niſi in eo probando inanem me operam ſumere crederem, cum iſtiusmodi miraculi nullum ſuppetat exemplum, quo ex nihilo aliquid productum ſit, poſtquam orbem totum creationis ſextituo complevit ſummus opifex. Non deſunt exempla productionis rerum ex materia ad id ſua natura inepta, quæ ſane creationi æquipollet, ut poſtea docebimus, ſed eam creationem non vocabimus, ut in verbis vitilitigandi occaſionem præſcindamus. Ab iis itaque operationibus exordiar, quas ab intellectus perfectisſimi natura proficiſci neceſſe eſt, quæque omnium rerum etiam futurarum haud fallacem præſupponunt notitiam: futurorum contingentium puto prædictiones, eorum maxime quæ multis poſt ſeculis demum eventura ſunt, quæque nulla creati ingenii etiamſi ſolertisſimi valet aſſequi conjectura. Et futurorum prædictiones, quas prophetias vocant ſacræ paginæ, ei tantum deberi qui cor hominis formavit qui ſuo cuncta gubernat arbitrio, quique omnia ſapienti conſilio delineavit, quod nullis creaturarum conatibus irritum reddi poteſt, ipſa clamat ratio. Neque enim certo prædicere poteſt is, cui hominum conſilia ſunt incognita, cujus præſcientia interventu cauſarum ſecundarum obſcurari aut dubia reddi poſſit. Atque hoc validisſime confirmant ſacræ literæ, quæ uon tantum mortalibus hanc corda & renes ſcrutandi & futura præſciendi facultatem omnino negant competere. Eccl. 9. 12. & 8.

a) Prædictio futurorum.

12. & 8,6. 7. 8. eamque Deo tribuunt Gen. 41, 16. Pſ. 7, 10. Jeſ. 42,9. 46, 10. Rom. 8,27. Apoc. 2,23. ſed & liquido neminem præter Deum ſolum futura cognoſcere, atque hæc myſteria revelare affirmant Dan. 2, 27. 30. ita ut & divinitatis ſit argumentum Jeſ. 44. 6. 7. & gentium idola, ſeu ſi mavis dæmones, provocentur ut ſimilibus vaticiniis ſe Deos eſſe demonſtrent Jeſ. 41,21. 23. Jure itaque merito Prophetias operibus annumerare poſſe mihi videor, quæ nemo facit niſi cum ipſo Deus ſit.

§. 8. Ab operibus quæ a perfectisſimo intellectu tantum proficiſci queunt, ad ea progredior quæ non niſi a voluntate omnipotente originē ducere in confeſſo eſt. Neq; hic omnia perſequi animus eſt, cum multa faciat Deus mirabilia & in cœlis & in terra; tantum ea adducam quæ Deo ſoli tribuenda ipſa docet ratio. Primum aſtrorum motum ſolius Dei ſubeſſe imperio, eumque a nullo dæmone ſufflaminari poſſe nemo ſanus negabit. Ordinem cernimus motus corporum cœleſtium, quo omnia hæc ſublunaria reguntur ac conſervantur, ſine quo cuncta peritura eſſent. An vero hæc corpora Deum dæmonum arbitrio ſubjeciſſe iiſque imperii ſui habenas conceſſiſſe nobis patiemur perſuaderi, a quorum directione omnes fere corporum terreſtrium affectiones dependent. Dudum exploſa ſunt deliria, quæ aſtris ſuas asſignabant intelligentias, quibus ut corpora animata moverentur, quæ ex Philoſophorum paganorum commentis ſtolidi quoque Judæorum magiſtri adoptaverant. Aliud ſane a ſuis prophetis edoceri potuiſſent, cum ipſe Deus, miranda providentiæ ſuæ Jobo pandens, ſtellarum curſum a ſe ſolo dirigi pronunciet Jobi 38,31. 32. 33. imo hunc ordinem ad confirmandas fœderis immutabiles promisſiones contemplandum proponat Jerem. 31, 35. 36. (quod ſacramenti vicem habuiſſe non ſine ratione conjicit Cl. Lampius affinis mihi longe carisſimus libro vernaculo de fœdere gratiæ part. 2. Cap. 23. § 6. 7.) quin etiam in eo divinitatem ſuam agnoſci jubeat Jeſ. 40, 26. Ac licet ſagas dæmonum opera tempeſtates ciere, vetulis ac qui anilibus delectantur fabulis perſuaſum habeatur, mihi tamen religio eſt, hæc meteora alii præterquam Deo ſubjicere, cum ipſe in iis ſuam admirari jubeat potentiam Job. 5,8. 9. & 38, 22-30.

§. 8 b. *Orbium cœleſtium ac tempeſtatum moderamen.*

§. 9. c. omnia ea quæ creationi æquipollent, & quibus naturæ ſuſpenduntur leges.

§. 9. E ſuperiori regione in terram deſcendimus, & ſicut naturæ leges in aëres locis nemo coërcere poteſt, niſi moderator orbis, ita nec in terra quidquam præter naturæ motuumque leges fit, niſi Dei omnipotentis operatione. E multis pauca proponere exempla ſufficiet. Cœco a nativitate oculos aperire, nunquam exauditum a temporibus ſeculi, non niſi Deum poſſe, & cui id concedere velit, recte colligebat is, quem inſigni hoc beneficio beaverat ſervator Joh. 9, 30. 32. nec dæmonium iſtud præſtare potuiſſe fatentur Judæi Joh. 10, 21. Senio confectum generare, decrepitam parere, comparatur creationi ex nihilo Rom 4. 17. & ſeqq. quam ſupra Deo ſoli competere indicavimus, nec quiſquam, ut ſpero, repugnabit. Virginem parere non tantum mirum Aguri viſum, ut multi interpretantur dictum Prov. 30, 18. 19. ſed & ut ſignum ex alto & profundo a Propheta propoſitum Achazo Jeſ. 7, 11. 14. imo & creationi comparatur Jer. 31, 22. Mortuos in vitam revocare, ſi præter Deum & creatura poſſit, non tam ſæpe iſtud ſoli Dei virtuti tribueretur, cum eadem virtus requiratur in reſuſcitatione quæ in creatione. 1. Sam. 2, 6. Rom 4. 17. & alibi. Ex his exemplis concludere licet, qualia ſint illa opera, quæ nulla creatura ſine numine perpetrare poſſit, quæ ſecundum ſolas naturæ leges operatur neque eas mutare ullo modo valet.

§. 10. Quæ tamen certis κριτηρίοις ab operationibus naturalibus diſtinguere difficile eſt.

§. 10. Si quis tamen accuratiorem diſtinctionem omnium operum iſtorum requirat, quæ ſolius Dei ope extraordinaria fiant, ab iis quæ creaturæ homine potentiores producere poſſint; lubens fateor id omnino eſſe arduum. Quamquam enim creaturam nihil niſi ſecundum naturæ leges operari certum ſit, nec ſupra eas effectum ſortiri queat finita voluntas, oppido tamen difficile eſt accurate determinare, an in operibus his illiſve media naturalia ſint adhibita ſecundum naturæ motuſve leges a Deo præſcriptas & facultates creaturis conceſſas, an vero extraordinaria acceſſerit Dei potentia, quæ naturæ leges ſuſpenderit. Quæ ambiguitas tantum abeſt, ut me a ſententia dimoveat, ut ea potius ſolvendis plurimis difficultatibus, quæ contra eam afferri poſſunt, mihi ſit inſervitura. Integrum tamen mihi erit, ea quæ vi naturali creaturarum ſecundum naturæ leges, licet modo nobis ignoto, fiant, ab iis extraordinariis operationibus diſtinguere, ad quæ virtus divina requiritur. Hæc ſola mi-

racula

racula vocanda esse puto, illa non item. Et solent ita Theologi inter *miracula* & *mira* distinguere.

§. 11. Posse autem Deum O.M. certis temporibus pro sua & sapientia & potentia fine se digno leges naturæ coërcere, atque extra ordinem stupenda talia opera elicere, nemo negabit, qui Deum esse confitebitur. Neque ens simplicissimum simul ac sapientissimum leges semel latas haud revocare, causari licebit; nisi etiam simplicitati ejus varias quibus hic mundus subest mutationes obesse, cavillari velimus; aut sapientiam non decere talia opera, quæ maxime, si ulla alia, infinitam potentiam, qua nutu omnia quæ vult efficit, demonstrant. Quamvis enim cuncta ipsius opera divinitatem ejus ac robur deprædicent; non dubitandum tamen est quin & mortalium animos divinæ gloriæ incuriosos, veræque felicitatis suæ securos extraordinariis operationibus ad attentionem excitare, eorumque incredulitatem expugnare possit; imo hoc rerum humanarum statu, id bonitatem ejus quam maxime deceat. *§. 11. Miracula facere Deum non dedecet.*

§. 12. Quotiescunque autem Deus ejusmodi opera extraordinaria facit, ea fieri fine summo numine digno, nemo ambigit. Is finis vero cum in genere sit Dei gloria; tum in specie ad demonstrandam illam gloriam faciunt, quam in opere gratiæ per Jesum Christum patefecit. Hinc non tantum de miraculis Mosis dicitur, quod ea facta sint ut cognoscerent Jehovam Deum esse & neminem præter ipsum Deut. 4, 32 -- 35. sed & de prodigiis Christi, quod per ea manifestaverit gloriam Joh. 3, 11. imo quod scripto consignata sint, ut credamus Jesum esse Christum filium Dei Joh. 20, 30. 31. Quod vero consilio gratiæ subserviant, vel inde evidens est, quod in iis typum esse voluerit divina sapientia istarum Dei operationum, qua animos nostros ex servitute diaboli liberatos regenerat, vivificat & donorum gratiæ facit compotes. Quæ causa est, cur Christus nonnunquam post peracta insignia opera, eorum occasione animos spectatorum ad meditanda multo majora gratiæ opera evexerit, quemadmodum id capite Joh. 6. clare perspici potest; Imo & ipsa vaticinia laudat eaque ad sanationes peractas applicat Matthæus, 8, 17. quæ non nisi de morbis spiritualibus agere patet; ut nisi de industria Apostolum mentem Prophetæ pervertisse dicere velimus, fatendum sit, in iis voluisse demonstrare typum sanationis animarum: quæ latius *§. 12. Semper ea facit fine se digno.*

 alii

alii persecuti sunt. Nec prætereunda est sapientissima, quæ in operandis miraculis conspecta est harmonia, qua Deus pulcre omnia facit in tempore suo. Quæ harmonia non tantum in eo elucet, quod iis præcipue (b) temporibus edita sint miracula, quibus clarius consilium gratiæ per Prophetas manifestari voluit Deus: sed & quod infidelibus data sint in signa 1 Cor. XIV. 22. (c) Hinc temporibus potissimum ignorantiæ ac impietatis ad expugnandam hominum infidelitatem atque animos eorum excitandos ad attentionem, his remediis Deum esse usum constat. Neque adeo Ecclesiam perpetuo miraculis indigere multi e Patribus agnovere inter alios Chrysostomus homilia 2. in Pentecost. Opp. Tom. V. Et notum est illud πολυθρύλλητον Augustini, eum *qui universis credentibus miraculum poscat, ipsum portenti loco esse.* Imo & Magistratus Christiani, si quibusdam credimus, in locum miraculorum successere, (d) eorumque vices subeunt, quos lepide perstringit *Benjamin Hoadlejus* doctissimus apud Britannos Præsul cujus verba ex *Answer to the representation of the Committee*, cum liber iste a paucis in nostra Germania legatur, in Romanum sermonem transfusa huc apponere haud pigebit. *Nonnulli asseruere Magistratum civilem, respectu Ecclesiæ Christianæ, miraculorum loco habendum esse; siqui-*

(b) Dico *præcipue.* Neque enim iis assentior, qui nulla miracula facta esse contendunt, nisi iis temporibus, quibus pars aliqua Verbi divini scriptis consignari debuerit. Neque enim Gedeonis vel Manoæ aut Simsonis vel Eliæ aut Elisæ temporibus ulla sacri codicis volumina esse edita, vel minima veri specie asseri putem.

(c) Illic enim per *linguas*, donum miraculosum variis loquendi linguis intelligi communis est interpretum sententia; neque cum aliquibus de inconditis ecstaticorum vocibus cogitandum esse, docet vers. 27. Nec assentior Cl. Werenfelsio, qui inter infideles non fieri miracula inde conjicit, *quod Christus in urbe Nazareth miracula patrare non potuerit*, unde porro putat, *Christum prius ab iis in quibus miracula patrare voluerit exegisse ut crederent potentiam suam, quæ tamen per miracula fuerat demonstranda.* Neque enim fides quam exegit fuit illa, ut crederent ipsum posse miracula patrare, sed ut crederent in Deum. Joh. 7. 17. Neque ab omnibus hanc fidem exegit: non saltem a plebe, quam paucis panibus satiabat quod ipsis discipulis ante impossibile visum Joh. 6.

(d) Quos nollem imprudenter sequi Cl. Werenfelsium l. c. p. 184. *Olim miracula requisita dicens, quia status miser & contemtibilis Christianorum id poscebat, at hodiernus Christianorum status, quantitas & qualitas eorum non minus Infidelium animos percellere potest quam miracula.*

ſiquidem Chriſtus primum miracula ordinaverit; iis vero ceſſantibus, naturali ac ineluctabili modo conſequi, Magiſtratus qui iis temporibus Chriſtiani facti fuerant, curam Eccleſiæ ac patrocinium in ſe ſuſcipere debere. Fateor hæc mihi nova admodum, aſt haud ſatis firma videri. Primo enim iſthæc eo nituntur fundamento, publica, in oculos incurrentia atque indubitata communiter fuiſſe in Eccleſia miracula, donec Conſtantinus apparuerit, ut iſtorum ſubiret locum; quod, vereor, demonſtratu difficile nedum impoſſibile erit. Deinde iidem ſupponunt, Magiſtratum civilem munus miraculorum exſequi, i. e. eandem rem protegere ac promovere, quam miracula faciebant. Jam vero miracula divinæ miſſionis Servatoris noſtri a Deo erant argumentum, aut alios a Chriſto miſſos demonſtrabant, omniaque eo tendebant ut probarent ipſum revera eum eſſe, quem ſe ajebat, Meſſiam a Deo miſſum in mundum: Cum officium Magiſtratus in protegenda Eccleſia longæ alius ſit indolis, & ad alium longe finem tendat, neque hactenus aliud fuerit, quam protectio alicujus ſpecialis Chriſtianorum ſectæ, vel ſpecialis cujusdam externæ profeſſionis atque formæ cultus externi Chriſtianorum, excluſis reliquis: quem ſcopum nunquam Deus mirando aliquo opere intendit. Nunquam miraculum factum legimus, ad ſtabiliendum Presbyterium, idque Epiſcopatui præferendum, aut ad preces publicas formulis adſtrictas evehendas ſupra preces publicas formulis haud adſtrictas, aut contra, vel ad ſtatuminandam fidei confeſſionem aliquam præ alia diſſentientium inter ſe Chriſtianorum. Verum ſimulatque Magiſtratus, ut iſti loqvuntur, miraculorum munus exſequi cœpit, confeſtim audimus Orthodoxos perſequentes Arianos imperante hoc Cæſare, & Arianos turbantes Orthodoxos imperante alio, pro diverſo imperantium affectu. Sique ad poſteriora deſcendimus ſecula, quamlibet ſingularem cultus & diſciplinæ formam (non miraculis, Deo ſint gratiæ, utpote quæ nunquam finibus inter ſe oppoſitis ſunt edita, ſed) gladio civili Magiſtratuum defenſam atque protectam invenimus, qui vel alterutram amplectuntur, vel ſuis commodis temporalibus hanc præ alia opportuniorem fore arbitrantur. Quam vere autem hæc methodus in locum miraculorum ſuccedat, ego quidem perſpicere nequeo: niſi contrarias plane partes agat, atque effectus plane oppoſitos iis habeat, quos miracula produxerunt; idque adeo, ut jam multo magis miracula videantur requiri, ob id, quod ab iis in orbe Chriſtiano factum eſt atque etiamnum geritur, qui in miraculorum ſucceſſiſſe locum dicuntur, imo, ut vereor, hæc vehementer augeri debeant, ipſisque imaginariis ſucceſſoribus ſuis ſuccedere ea oporteat, antequam, quæ iſti, veræ religioni intulere mala atque inflixere vulnera, probe ſanari poſſint. Sed hæc obiter. Nos contemplata miraculorum natura ac ſcopo, ad ipſum *κϱινομενον* examinandum accingimur.

§. 13.

§, 13. Solus Deus miracula vera patrat.

§ 13. Miraculum cum definivimus opus quo leges naturæ ſuſpenduntur, quodque nemo facere posſit niſi ſit cum illo Deus; in ipſa hac definitione jam docuimus, neminem præter Deum ordinarias naturæ leges poſſe ſuſpendere. Atque id nunc porro ex ipſa creatoris rerumque creatarum natura, ſacrarum denique literarum teſtimoniis probandum nobis eſt. Creatorem ipſum ſi conſideremus, qui omnibus creaturis & exiſtentiam & eſſentiam dedit ac conſervat, ac quamlibet ſuis circumſcripſit finibus, ut in iis ſuam demonſtret gloriam; ſiquidem creatura leges iſtas mutare aut transgredi poſſet, omnes ſane Dei O. M. virtutes vacillarent. Omniſcientia divina non ſine errore ac metu deceptionis foret, ſiquidem fundamentum divinæ omniſcientiæ dependentiam creaturæ ab opifice ſuo homo vel angelus ſubvertere poſſet. Summa ejus potentia infirmaretur, niſi ſuis arctata eſſet creatura limitibus. Sapientia eluderetur, ſi leges creatoris ſapientisſimæ, creaturæ ſubeſſent arbitrio. Nec bonitas ejus effectum ſortiretur, ſi alius præter Deum, naturæ teneret habenas. Creaturam quoque dum nominamus, finitam dicimus ſubſtantiam, quæ ſuos a creatore habet præſcriptos limites, ordinem, leges, quæ niſi creatoris arbitrio immutari nequeant. Id ipſa quoque Scriptura clamat toties ingeminans Deum *ſolum* לבדו facere miracula. Vide ſodes Pſ. 72, 18. 86, 10. 136, 4. & judica, annon ipſum Deum mendacem appellent, qui alii præter eum virtutem miracula patrandi tribuunt? Cumque ex miraculis ſe Deum velit agnoſci Deut. 4. 32-35. Pſ. 86, 10. annon ipſum robor argumenti Deus infringeret, ſiquidem Satanæ aut angeli eandem haberent facultatem, eaque injuſſu Dei patrare poſſent?

§. 14. *Quamvis in iis patrandis creaturis ut inſtrumentis utatur.*

§. 14. Verum cum illud extra omnem dubitationis aleam ſit poſitum, negari tamen nequit, Deum per creaturas ſæpisſime ſuam demonſtrare omnipotentiam. Liberum enim eſt ſummo omnium rerum Domino in perficiendis magnalibus ſuis, inſtrumentis, quibus vult, uti. Cumque malæ ſimul atque bonæ creaturæ imperio ejus ſubſint, non dubitandum eſſe videtur, poſſe Deum etiam malis angelis aut impiis uti hominibus, ad fines ſibi propoſitos. Neque hæc ego abnuerim. Quodſi ergo per creaturas portenta talia quæ vere נפלאות dici queant producantur, iſtorum origo omnino ei adſcribenda, qui nutui ſuo omnia inſervire cogit; neque ergo iis, qui hujuſmodi

jusmodi vel ab angelis vel hominibus perfici vident, in causis secundis subsistendum est, sed ad primam causam ascendendum, Deum nempe, qui vires suas in creaturis exserit.

§. 15. Nunquam tamen ad homines seducendos creaturæ hanc facultatem concedit.

§. 15. Sed quotiescunque per res creatas talia produci jubet Deus opera, id finibus sua virtute ac gloria dignis fieri omnino fatendum est, quos jam verbo supra indicavimus: ad gloriæ nimirum suæ demonstrationem, verbi Evangelici confirmationem, infidelium ac pertinacium convictionem. Hinc e contrario liquet, minime credendum esse, Deum eandem facultatem extraordinariam creaturis concessurum esse, ad homines seducendos in errorem, a Dei cultu avertendos, aut in pertinacia sua confirmandos. Putabimusne Dei decere *sapientiam*, ut virtutem suam extraordinariam eum in finem det conspiciendam, qui gloriæ ejus adversetur? Hoccine *sanctitatis* est qua gloriam demonstrat, ut ea patret opera, quibus gloria ejus abnegetur? Hæccine *bonitati* ejus conveniunt, ut de industria talibus miraculis hominem fallere ac pervertere studeat, cujus tamen salutem exoptat? Porro an *Deus sibi ipsi contrariabitur?* aut secum ipse pugnabit? Aut regnum suum sciens volensque destruet? De Satanæ regno ita olim argumentabatur Christus: *Omne regnum in se divisum vastatur, & omnis civitas domusve in se divisa non consistet, & si Satanas Satanam ejicit, in sua sævit viscera, nec regnum ejus consistet*, Matth. XII. 25. 26. Talem stultitiam nec Satanæ tribui vult Servator noster. Quid ergo? Nos Deo ipsam tribuemus? Absit blasphema superstitio. Non operabitur Deus miracula quæ regnum Christi destruant, nec suam commodabit Satanæ omnipotentiam ad perdendum Christi regnum. Quo denique jure ii punientur, qui his miraculis seducti mendaciis fidem habuere? Nonne objicere poterunt tremendo judici, ipsum talia stupenda patrasse opera, ut non potuerint non persuaderi, hæc a Deo esse speciali jussu profecta. Quisquis hæc sine præjudiciis, sedata mente perpenderit, mecum confitebitur, non posse Deum naturæ motusque leges suspendere, ut ad mendacia attentos reddat homines, eosque Satanæ mancipet. Foret hæc insuperabilis tentatio, cui vir probus & rationalis merito succumberet. Adeoque Absit ut credamus, Deum ita tentare homines, qui neminem se tentare ait Jacob. 1. 13. (e)

SECT.

(e) Cum his conferat Lector, quæ habet Cl. Werenfelsius pag. 188. 189. l. l

Sectio II.

Objectiones refellens.

§. 1.

§. 1. *Refelluntur objecta.*

Demonstratum est in superioribus, nunquam Deum hac fini angelis vel hominibus concedere posse miracula patrandi facultatem, ut per ea in errore obfirmentur homines, regnumque adeo Christi destruatur. Sed multa sunt quæ huic veritati fucum obducere possunt, quæque in causa fuerunt, ut viri doctissimi ac piissimi hanc veritatem deseruerint, non superstitione quidem, sed submissa sacrorum oraculorum veneratione (in quibus causæ suæ putarunt esse præsidium) inducti. Non inutilis itaque erit opera, si, quæ ex ratione vel sacris assertioni nostræ opponi possunt dubia, diluamus. Quæcunque autem objiciuntur, iis demonstrare nituntur: vel *posse* Deum per Satanam atque impios miracula facere ad homines tentandos, vel *revera* nonnunquam inter infideles talia *fecisse*. Prius ex ratione & Scripturæ dictatis: Alterum exemplis confirmare nituntur. Pellendæ itaque sunt hæ nebulæ, ne amplius veritatis nobis eripiant radios.

§. 2. *I. Posse Deum per vera miracula tentare, negatur.*

§. 2. Posse Deum per Satanam ejusque instrumenta ad tentandum populum infidelem supernaturalia quædam efficere opera, ex ea ratione nonnulli sibi persuadent: quod malis creaturis, cum peccant aut alios pervertunt, Deus vitam ac vires conservet, suoque concursu, ut loquuntur in Scholis, ipsos sustentet: Quoniam vero ad conservationem eadem virtus requiritur, quæ ad creationem aut productionem e nihilo; non indignum esse Deo putant, si ad infideles tentandos miracula fieri sinat, quæ creationi æquipollent. Sic argumentatur Coccejus loco supra descripto. Dum *non putat Deo indignius ut tentet per proprium opus quam per opus creaturæ, non magis quam Deus non indecore hominem faciat ex occasione scortationis, aut permittat elementa moveri ad nutum diaboli sævientis.* Miror virum tam perspicacis ingenii hic adeo in tenebris micare. Conservationem eadem virtute fieri qua res primum creatæ sunt, largior; qui enim effecit ut

res ex

res ex nihilo factæ ſint, facit etiam ut porro ſint, quod ſi facere deſineret in nihilum omnia reverterentur. Sed & apud omnes Theologos in confeſſo eſt, eſſe aliquid inter creationem ac conſervationem diſcriminis, poſſeque Deum creaturam in aliquo ſtatu conſervare, ac ut porro ſit efficere; in quo tamen eam creare Deo indignum fuiſſet. Sic experientia edocemur, conſervare Deum homines & angelos rebelles, & ordinaria potentia ſua ad eorum actiones etiam pravas concurrere; ſed Deum ipſos in eodem ſtatu creaſſe, nefas fuiſſet, cum hoc pacto auctor peccati extitiſſet. Cum itaque in miraculis non tantum per leges naturæ ordinarias creaturæ conſerventur in operando; ſed ſpeciali juſſu Dei leges naturæ ſuſpendantur; alia certe debet eſſe operatio Dei in patrandis miraculis, quæ cum ordinario concurſu comparari minime poteſt. Licet itaque Deum non dedeceat libidinoſum conſervare, ac permittere ut ex furtivo amore ſecundum naturæ leges ordinarias fiat homo; non tamen inde ſequitur, ipſum eodem modo extraordinariam virtutem ſuam poſſe Satanæ vel impiis concedere, ut producatur opus quod naturæ motuſque leges ſuperet & mortales in errorem ducat; Hæc enim toto cœlo differunt. cum ſcortatore concurrit ſecundum leges ordinarias: In impoſtoris vero gratiam naturæ leges ſuſpenderet: Scorti fœtus neminem in admirationem rapit, nec divini quid ei ineſſe quiſquam ſuſpicatur: Aſt impoſtoris miraculum Deum præſentem argueret omneſque merito in ſtuporem raperet. Quæ de Diabolo addit, cui permittat Deus ad nutum ejus elementa movere, ſi de tempeſtatibus in aëre excitatis intelligat, ipſe ſibi contradicit, cum *poteſtatem aëris* quæ Satanæ ut *principi* Eph. 2, 2. tribuitur ipſe *metaphorice* per *poteſtatem tenebrarum, & ignorantiæ ac impietatis nebulas* in ſuis ad h. l. commentariis interpretetur. Cumque hic unicus ſit in tota Scriptura locus, qui male intellectus, vulgus in ea confirmavit opinione, qua Sagæ ope Satanæ tonitrua fulgura imbreſve concitare creduntur, non video unde hæc adſtrui posſint niſi Platonis regulam recipiamus *περι δε των δαιμονων ειπειν και γνωναι την γενεσιν, μειζον η καθ᾽ ἡμας, πιϛεον δε τοις ειρηκοσιν εμπροσθεν.* Nam quod de Beſtia dicitur, quod faciat ignem de cœlo in terram decidere, id metaphorice interpretandum eſſe idem Coccejus docet. Apoc. XIII, 13. Sin vero per *motum elementorum* corpora iſta intelligat, quæ ſe-

cundum naturæ leges movere posſit Satanas, non repugno: Sed eodem modo quo ſupra reſpondeo: a concurſu ordinario male concludi ad concurſum extraordinarium, qualem in miraculis ſupponunt Theologi omnes.

§. 3. *II. Neque id Scriptura dicit Deum velle Deut. 13, 1. &c.* §. 3. Porro non incredibile eſſe, Deum ad tentandum populum ſuum, Satanæ ejusque prophetis permittere, ut mendacia ſua miraculis roborent, ex eo probare ſatagunt, quod ſæpius id in ſacris prædicatur, populuſque Dei ne iis fidem habeat moneatur. Primum in omnium ore eſt Dei monitum quod legitur Deut. XIII. 1. & ſeqq. Ubi jubentur Iſrælitæ ſibi cavere a Vatibus vel ſomniatoribus qui daturi ſint ſignum vel prodigium, ut perſuadeant iis Deos alienos colere, & tale prodigium vel ſignum venire poſſe Deo tentante. Judæi frequenter hunc locum Chriſtianis objiciunt. Jeſum noſtrum επι παντα ευλογητον hujuſmodi Pſeudoprophetis blaſpheme annumerant; miracula ejus cum negare nequeant, eadem hac ſpecie eludunt; ſummo etiam jure ipſum a Synedrio neci datum ex eodem loco contendunt. Nos Chriſtiani vulgo reſpondemus: Jeſum nunquam docuiſſe Deos alienos ſequi; cum ſe Deum dixerit, ejus divinitati Moſen etiam ac Prophetas teſtimonium perhibere. Recte quidem. Sed vereor ne nimium illis concedatur, atque hac ratione miracula Chriſti reddantur inutilia, ſi pſeudoprophetas eadem imitari potuiſſe largiamur. Mihi alia longe ſtat ſententia, neque hunc moniti divini ſenſum eſſe mihi perſuaderi patior. ſed venturum tamen aliquando ſignum & prodigium a pſeudopropheta datum dices? Fateor. Verum an Deum O. M. pſeudoprophetæ cooperaturum additur? Minime gentium. Venturum tantum nonnunquam prædicitur. Neque iſtorum ſignorum aut prodigiorum ratio exprimitur, fictane an vera futura ſint. Ficta vero hic intelligere quid vetat? Tanto pronius hoc conjicitur, quod de נפלאות hic nulla mentio, quæ Deum facere לבדו ſolum, alibi Scriptura clamat. Objicies: Si de fictis miraculis ſermo eſt, cur ea non additur cautio? cur non κριτηρια potius memorantur quibus ficta a veris diſcernere liceat? Uti argumentatur Clericus ad h. l. ſcribens: *Verum miraculum fuiſſe ſtatuitur, alioqui Moſes potius diſcrimen verorum & falſorum miraculorum deſcripſiſſet, ut ita veri Prophetæ a falſis ſecernerentur.* Sed in promtu eſt ratio. Cautionem hanc addere non opus erat, cum veris miraculis Deum tanquam

tanquam sibi proprio αυχηματι demonstrari supra jam edocti erant Deut. 4, 32. - 35. κριτηρια falsorum miraculorum examinanda proponere res fuisset ardua, ad cujus examen cuivis nec facultas nec ingenium fuisset. Nihil itaque facilius erat, quam doctrinam unius veri Dei retinendam suadere, cum certi esse possint, qui ab ea recedant, a Deo non esse missos; eorumque signa non a Deo sed alia causa sibi licet ignota procedere. Hinc probare non miracula jubentur (quod magni operis est, profundamque rerum naturalium scientiam requirit, ut supra docuimus) sed Spiritus an ex Deo sint. Unde nec in N. T. alia διακρισεως πνευματων datur norma 1. Joh. IV. 1. 2. 3. Nihil itaque in hoc loco veris pseudoprophetarum miraculis est patrocinii. Qui pro vulgari militant sententia, vi veritatis adacti id nobiscum quandoque fatentur. Excidit inter alios & *Knibbenio* hæc confessio, quamvis alibi tritam sequatur viam, dum in historia Prophetarum belgico idiomate conscripta Lib. III. Cap. 5. §. 7. n. 6. nihil aliud ex hoc loco colligit, quam Pseudoprophetas vel veneficiis vel præstigiis talia patrare quæ miracula esse vulgo creduntur, **vermeinte Wunderwerck** ut habet vernacula versio. Atque in hunc sensum etiam illud exponit *Vincentius Lirin. Commonit. Magnus profecto nescio quis significatur magister & tantæ scientiæ, qui sectatoribus propriis non solum quæ humana sunt nosse, verum etiam quæ supra hominem sunt prænoscere posse* (NB.) *videatur.*

§. 4. Aliud vero huic sententiæ quæritur præsidium in verbis Christi Matth. VII. 22. ubi extremo die quidam prodituri dicuntur Domino objicientes quod in nomine ejus δαιμονια εξεβαλον & δυναμεις πολλας εποιησαν: quibus tamen professurus sit ουδεποτε εγνων υμας. αποχωρειτε απ' εμου οι εργαζομενοι την ανομιαν. Nescio an ex hoc loco sibi persvaserit Coccejus, quod in Pot. Script. VII, 52. asserit, *Christum per quoscunque nominatum posse facere miracula;* quod parum abest a Judæorum superstitione, qui nomen ανεκφωνητον a quocunque nominatum mira patrare nugantur. Verum in hoc dicto Christi, quod probe notandū, nullus est sermo de Satanæ ministris qui alios a Christo abalienare conentur, sed de iis qui Christum compellent κυριε κυριε v. 22. tribuitur enim his quod & δαιμονια εξεβαλον: jam vero Satanas Satanam non pellit, docente Christo Matt. XII. Nihil hic docetur, nisi quosdam Christum profitentes quamvis nec in fide salutari radi-

§. 4. Nec Matth. 7, 22.

dicati, nec regeniti ſint, tamen ipſo cooperante miracula patraturos: idque in nomine Chriſti, quod fide eâ invocaturi ſint, qua credant ipſum eſſe Mesſiam Dei filium, cui data ſit omnis poteſtas in cœlo & in terra: nec eos Chriſto adverſos fuisſe, ſed regno ejus propagando inſervisſe ex Marc. IX. 38. 39. 40. tuto colligitur: ubi cum diſcipuli JESU conquererentur de quodam ejiciente dæmonia in nomine ejus, qui tamen ipſum non ſequeretur, reſponſum tulerunt: Ne impedite ipſum: Nemo enim virtutem faciens in nomine meo *δυνησεται ταχυ κακολογησαι με*, qui enim non eſt contra nos, is pro nobis eſt. Neque id Deum dedecet *προσκαιροις* etiam ad promovendos regni ſui fines uti (f) Neque inde ſequitur, Chriſtum a quovis nominatum poſſe miracula facere. Imo nolle ipſum per præſtigiatores miracula facere licet nominatum, illuſtri exemplo filiorum Scevæ Pontificis docemur, Act. XIX. 13 -- 17. qui licet hoc carmine uterentur *ὁρκιζομεν ὑμας τον Ιησουν ὃν ὁ Παυλος κηρυσσει*, haud impune tamen hanc tulerunt audaciam.

§. 5. *Nec Matth. 25 24.* §. 5. Porro in cauſam ſuam advocant vaticinia de Pſeudoprophetarum miraculis; Chriſtus enim eos daturos *σημεια μεγαλα και τερατα ὡστε πλανησαι ει δυνατον και τους εκλεκτους* monet Matth. XXIV. 24. Et majora etiam dicuntur de beſtia Apoc. XIII. 13. *ποιει σημεια μεγαλα, ἱνα και πυρ ποιῃ καταβαινειν εκ του ουρανου εις την γην* &c. Miror Coccejum, qui prius membrum veri nominis miracula interpretatur, poſterius improprie intelligi velle. Siquidem verum eſt, quod in potentia Scripturæ pronuntiat, *ad Diaboli ſævientis nutum elementa moveri*, quidni ignem ex aere in terram demitteret? ſed vetulis relinquamus has nænias. Paulus qualia futura ſint hæc *σημεια* aperte declarat, cum hæc vocet *δυναμιν, σημεια* & *τερατα ψευδους* i. e. *mendacii*, iisque jungat *απατην της αδικιας* i. e. *fraudes injuſtitiæ.* Novi Coccejum etiam hæc *τερατα ψευδους* interpretari ſigna in errorem ducentia & mendacium confirmantia, atque in Commentario ad 2. Theſſ. II. 9 -- 12. multis eandem adſtruere ſententiam quam in potentia Scripturæ defendere conatur: quæ partim ſupra jam refutata ſunt: partim in ſequentibus diſcutientur. Id tamen monendus eſt lector, non negare ipſum, ambiguam eſſe iſtius phraſeos ſignificatio-

(f) *Uti nec Deum dedecet eximiis donis ornare Miniſtros Eccleſiæ, qui cum aliis prædicant ipſi fiunt αδοκιμοι ut* ait Cl. Werenfelſius.

cationem, & posse omnino verti: *miracula ficta, imposturas*: quod Græcæ quoque constructioni convenientius est, ut Genitivus substantivi pro adjectivo qualitatis ponatur, sitque *signum mendacii* idem quod *signum mendax* vel ementitum. Cum autem aliam jungat explicationem, qua per miracula ψευδους, vera miracula mendacium comitantia intelligantur, Chrysostomum appellat, qui id profecto ne vel per somnium cogitavit. Scribit equidem ητοι διεψευσμενα, η εις ψευδος αγοντα i.e. vel ementita, vel in mendacium inducentia, uti per adversativam particulam vertit Coccejus. Verum alia longe Chrysostomo mens fuit, ut præcedentia arguunt, ubi hæc verba ita interpretatur τουτεστι πασαν επιδειξεται δυναμιν, αλλ' ουδεν αληθες, αλλα προς απατην τα παντα. Et postea de AntiChristo dicit απο σημειων μονων ψευδων πιστευηται. Unde fictitia fore hæc miracula credidisse Chrysostomum liquet, quæ simul in errorem essent inductura. Nec impedit quo minus imposturæ putentur, quæ tamen *magna* fore prædicit Spiritus S. cum & ea quæ astu hominum ac dolis perpetrantur opera, in stuporem ignaros rapere possint; magna sunt in oculis hominum, qui abditas istorum prodigiorum causas semper penetrare nequeunt.

§. 6. Pergimus ad exempla, quibus Satanam vel Pseudoprophetas vera miracula fecisse probare nituntur hujus sententiæ patroni. Si Coccejo credimus, Diabolo hic primæ debentur partes, ita enim ad 2. Thess. II. § 89. infit: *Primum miraculum fuit serpens loquens.* Haud pauci sunt, qui totam hanc narrationem parabolicam credunt, (cum & ipsi, qui literam seqvuntur, ab ea tamen in hac historia recedere in multis circumstantiis cogantur) neque Satanæ id tribui volunt, quod Deo adscribitur, *Jehova aperiebat Asinæ Bileami os* Num. XXII. 28. Neque eos hæreseos postulaverim, modo ne Satanam auctorem seductionis inficientur, quod alibi sacræ literæ aperte docent. Verum stet vulgaris sententia, Diabolum serpente tanquam instrumento fuisse usum ad pronuntianda quædam verba: quousque organa quorundam anguium a spiritu aliquo naturaliter moveri possint, ignoratur; neque id continuo supernaturali alicui virtuti tribuet qui sapit, cum & psittaci & cornices voces quasdam proferre ab hominibus edoceantur. Alioqui Deum mutos & elingues sanare ubivis clamant sacræ literæ; & cum Satanas non potuerit cœco aperire

§. 6. *III. Neque id probatur exemplis*

(a) *Serpentis loquentis.*

perire oculos, ut ſupra ex Johanne probavimus, non crediderim etiam ipſum muto aperire os. Neque id pro vero miraculo habuiſſe video Cl. Lampium, cum nullius ſe veri miraculi a pſeudoprophetis patrati meminiſſe ait, ſi miracula Ægyptiorum exceperis **Gnadenbund 3 Theil** pag. 421.

§. 7. b. *Nec Magorum in Ægypto.*

§. 7. Sed & hæc miracula magorum ulterius examen requirere, annon hæc fraude vel naturali arte patrata ſint, judicioſe addit. Inſtituamus itaque examen eorum quæ Ægyptii Jannes & Jambres effeciſſe dicuntur, ut videamus an Deo vel Satanæ, vel arti humanæ, vel dolo tribuenda ſint. Tria tantummodo in Ægypto patrasſe mira in ſacris leguntur magi (1) Poſteaquam Aaron projeciſſet ſcipionem ſuum coram Pharaone & ſervis ejus, isque factus fuisſet לתנין; & Pharao convocaſſet חכמים & מכשפים, iidem חרטמי מצרים etiam ita feciſſe leguntur בלהטיהם: projecerunt quisque ſcipionem ſuum, & facti ſunt dracones vel ſerpentes, ſed ſcipio Aaronis conſumſit ſcipiones ipſorum Exod. VII. 10. 11. 12. (2) Cum Aaron extenſo ſcipione ſuo omnes Ægypti aquas in ſanguinem convertiſſet, v. 19. 20. 21. de Magis additur v. 22. ויעשו כן חרטמי מצרים בלטיהם (3.) Denique cum juſſu Dei Aaron ingentem ranarum exercitum e fluvio ſtagnisque Ægypti eduxisſet, Magi quoq; leguntur ſimilia feciſſe Exod. VIII. 3. vel 7. ויעשו כן החרטמים בלטיהם ויעלו את הצפרדעים על ארץ מצרים: Cum autem pediculos produxisſet Aaron, eundem imitaturi præſtigiatores eodem modo fecerunt בלטיהם ut producerent pediculos, ſed non potuere; unde dixerunt Pharaoni אצבע אלהים הוא *Hic eſt Dei digitus.* Priora vero quæ effecere Magi, veri nominis fuiſſe miracula multi ſibi perſvadent. Quamquam hic neque Judæi nec Chriſtiani ſibi ſatis conſtent. Auctor *Nizzachon Veteris* revera hos effectus a Magis productos eſſe credidit, cum Blaſpheme Jeſu noſtri miracula cum iis comparet pag. 34. & in *Sanhedrin* Magum definiunt המכשף זה העושה מעשה ולא האוחז העינים *Magus is eſt qui efficit opus, non vero qui faſcinat oculos.* Et *Bodinus* in deteſtando *de abditis rerum ſublimium arcanis* libro, Judæum ita argumentantem introducit: *Moſes Ægyptiorum magos eadem feciſſe ſcribit, quæ ipſe divina potentia fecerat i.e. ſerpentes, ranas, ſanguinem; at Moſes faſcinabat neminem, igitur nec illi, cum eadem ab ipſis facta fuiſſe ſcribat.* Quod iterum e codice San-

Sanhedrin confirmatur, ubi ad verba Exod. VIII. 19. ita ex verſione Cl. Cocceji ſcribunt verpi: Dixit R. Eleaſar. Hinc diſcimus non poſſe dæmonem creare creaturam minorem quam ſecundum menſuram grani hordeacei *R. Papa: ne inſtar cameli* (formicæ) *quidem condere poteſt. Sed majora corpora facile ipſi coguntur, non item minuta.* Ibidem diſtinguunt inter בלהטיהם Exod. VII. 11. & בלטיהם quod in ſeqq. Magis tribuitur. Hoc notare opus dæmonum, illud vero opus magiæ dicentes. Ab iis tamen recedit Aben Eſra, qui obſervante Coccejo *retentionem oculorum* interpretatur. Chriſtiani hic etiam in diverſa abeunt, in quorum ſententiis recenſendis non eſt quod operam ludamus. Ego obſervari velim [1] Expreſſe diſtingui modum, quo Aaron & quo hi præſtigiatores mira iſta effecerint. Illi fatentibus ipſis magis *digitus Dei* adfuit; unde certo certius concludo, in eo quod magi effecerunt non fuiſſe digitum Dei, nullamque adeo ſupernaturalem virtutem. Hinc dicuntur id effeciſſe בלהטיהם vel בלטיהם ſive id deducamus a לוט operire, obvolvere, ut notet artes reconditas, abdita arcana; ſive להט flamma, fulgor, ut ſit veluti fulgur & ignis prætervolans, ars quibus oculi celeritate quadam præſtringuntur. Judæi certe Alexandrini has voces non [ut poſtea Thalmudici] diſtinxere, ubivis enim vertunt per Φαρμακειας quamvis Aldina editio, ſed Exod. VIII, 7. tantum, habeat επαοιδιας incantationes, ut ferme crediderim το ה in priori voce redundare. (2) Notari velim Magos tribus inſigniri titulis, quorum prior חכמים ſapientes, philoſophos, magos notat, cujus vocabuli innocens olim ſignificatio fuit; quamvis hos maxime nocentes fuiſſe haud abnuerim, cum præſtigiis ſuis Pharaonem in pertinacia ſua confirmare annisi ſint. Dein מכשפים vocantur, cujus vocis ſignificatio incerta quam maxime. Græci Φαρμακȣς reddidere. Neſcio an audiendi ſint Judæi qui a כחש deducunt (in Sanhedrin, conf. & a Buxtorf in h. voc. laudatos) quaſi *mendax reddant decretum ſuperiorum.* Mendaces fuiſſe non abnuo, ſed Dei decreta vel naturæ ordinem eos invertere, credat Judæus Apella non ego. Deniq; חרטמים audiunt quod per κρυφιαςας commodisſime exponi poſſe docet *Guſſetius* ad חבר. Ex his ſaltem titulis colligitur, ipſos magiæ naturali deditos, nonnunquam & fraudibus, talia perpetraſſe quibus oculi ſuperſtitioſorum faſcinati, divini quid iis ineſſe ſuſpicarentur. (3) Denique ſi ipſa quæ

ſa quæ de iis narrat hiſtoria ſacra, curatius penſitemus, non putem ea tanti fuiſſe momenti, ut ad ea ſpecialis Dei concurrentis voluntas requiſita fuerit. Projecerunt virgas ex quibus facti ſerpentes: fateor. Sed veram hanc fuiſſe μεταμορφωσιν non patior mihi perſuaderi. Mecum partim ſentit gloſſa in Bibliis Toſſani: **Gleichwohl war dies der Unterſcheid / daß der Stab Arons wahrhafftig durch die Krafft GOttes in eine Schlange verwandelt worden; aber was die Zauberer thaten war nur eine teuffliſche Verblendung.** Quid ſi dicamus ventilatores & ψηφοπαικτας hodiernos eadem mira in foris publice patrare? Neque id philoſophis aut Sacerdotibus indignum quis putet, cum notum ſit quibus fraudibus pagani ſacerdotes olim vulgus excæcaverint; ipſique Pontificii etiam nunc ſæpisſime his artibus credulam plebem ludant. Serpentibus præcipue ad ſuas præſtigias & incantamenta fuiſſe uſos quos illæſi tractabant, notisſimum eſt. Dubitanti Bochartus plurima ſubminiſtrabit exempla, in Hierozoico. Deinde & aquam in ſanguinem convertere. Ubi iterum Gloſſa in Bibliis Toſſani: **dem äuſſerlichen Schein nach wie droben** v. 11. Certe non leguntur id feciſſe in tota Ægypto, ſed tantum coram Pharaone, accepta vel ab Iſraëlitis aqua, vel ex fodinis quas Ægyptii necesſitate compulſi noviter eruerant; nam per 7. continuos dies plaga hæc duraverat; neque poſt eam finitam demum id feciſſe leguntur, verum immediate poſt editum a Moſe & Aarone miraculum. Non majus itaque hoc fuiſſe prodigium crediderim, quam quod in ſangine S. Januarii ſtupente plebe ridentibus ſanioribus & hæreticis Neapoli viſitur. Denique quod Ranas produxiſſe legantur, monet Bochartus Hieroz. Part. II. Lib. V. Cap. 2. *Sed neque magos certum eſt veras ranas produxiſſe. Eas enim aliunde allatas fortaſſe ſuppoſuerunt, aut præſtigiis ſuis Pharaoni impoſuerunt. Quanquam ex putri materia ranas producere non ſit magnæ molis opus, cum quandoque ex genitali aqua, cœleſti calore condenſata conformataque ranunculos etiam in nubibus excludi conſtet.* Quod autem in terram Ægypti eduxiſſe ranas legantur, id ſynecdochice intelligendum nemo negaverit, quiſquis jam prius in totam terram ingentem ranarum copiam ab Aarone eductam cogitaverit, quæ non niſi intercesſione Moſis ac Aaronis removeri potuere. Neque quiſquam Phraſin hanc ויעשו כן nimium urgebit; cum eâ tantum mihi innui videatur, magos exter-

nos

nos illos actus Aaronis, extensionem brachii & scipionis imitatos fuisse; nam & cum de pediculis agitur, quos tamen producere nequivere, eodem modo de iis dicitur יעשו כן Exod. VIII, 14. Quæ omnia, si probe advertantur, clare docebunt, non posse hoc magorum exemplo probari, pseudoprophetas vera unquam edidisse miracula.

§. 8. Hæc scripseram, cum incidi in *Clericum* magno nisu vera *§. 8. Quod*
isthæc fuisse Ægyptiorum miracula contendentem: quod tanto magis *ab Obje-*
miratus sum, cum alibi vera miracula a Deo præstita extenuare & *ctionibus*
in censum rerum naturalium redigere sustinuerit. Præter ea quæ *Clerici*
supra jam confutata sunt, urget præcipue (1) *Si tanta fuit inter mira-* *vindicatur*
cula hæc dissimilitudo, ut non minus differrent Ægyptiaca a Mosaicis quam Agyrtarum artes ab effectibus vere portentosis, mirum est Mosen ne verbulo quidem hoc indicasse; imo vero ita locutum ut contrarium plane sensisse videatur. Profecto multum ad gloriam Dei Israëlis adtinebat, obiter saltem monuisse legentes, Ægyptiorum Magorum miracula mera oculorum ludibria fuisse, nec quidquam simile veris habuisse, præter speciem externam. Verum non ita locutus est Moses, ut vera miracula ea credidisse videri possit. Non enim obiter sed data opera monuit legentes, in Ægyptiorum præstigiis *non fuisse Dei digitum*, adeoque ea nulla divina virtute patrata. Et si vocum מכשפים & חרטמים verum significatum ita perspectum haberemus, uti quidem ii quibus Moses scripsit, ipsa hæc denominatio forte omnem adimeret nobis scrupulum. (2) Quæ ex Deut. XIII. 1. & Matth. XXIV, 24. affert, supra jam diluimus. Cum vero & eo nitatur, *Christum Judæos blasphemantes, quod εν αρχοντι δαιμονιων miracula faceret, non confutare, negando a Cacodæmonibus miracula fieri posse*, observare debuisset, argumenta talia a silentio desumta non multum habere roboris; sed & etiamsi Christus negasset a Dæmone miracula fieri vera, quod maxime potuisset, id tamen altioris fuisset indaginis ut jam supra monui; adeoque ad absurdum ipsos deducere mavult: cum alioqui Scriptura sæpius *Deum solum miracula facere doceat*, ipsique Judæi, *Dæmonem ne cæco quidem aperire posse oculos*, fateantur. (3) Quod vero attonitus quærat: *quis docuerit Physicos, Dæmonum nullam esse potentiam, aut eam non excedere humanes vires, vel leges corporeis naturis ab initio positas?* facile largior, Physicam nihil de dæmonum viribus quantæ sint docere; sed Judæos & nos Christianos id Scriptura docet, quæ

 licet

licet Satanæ non determinet potentiam, id tamen aperte ſatis declarat, non poſſe ipſum talia patrare opera, quæ Deus ſibi ſoli tribuit, uti in ſuperioribus demonſtravimus. (4) *Sacram Hiſtoriam plurima portentoſa a Cacodæmonibus facta eſſe nos docere ait*, unde concludit, *non dubitandum eſſe quin ab iis miracula permittente Deo fieri poſſint.* Cum vero nullum exemplum adferat clarum atque indubitatum, a diabolis unquam verum miraculum ad tentandos homines proditum, tantisper huic argumento refutando ſuperſedebimus donec id exemplis ex hiſtoria ſacra fulciatur. (5) Porro *Phraſin* ויעשו כן *proprio ſenſu intelligendam credit.* At ipſe poſtea eandem Phraſin ad Exod. VIII, 18. ita interpretatur: *Hoc eſt: pulverem percuſſerunt, adhibueruntque arcana verba; ut idem facerent, verum non potuerunt. Itaque conferuntur hic magi Aaroni percuſſione pulveris, quæ ſi ſola ſpectetur*, ſic *ut Aaron* fecerunt. *Alii* ſic fecerunt *interpretantur:* ſic facere conati ſunt. *Ac ſane verba activa ſæpe conatum duntaxat deſignant, ut Gen. 37, 21.* (6) Præterea etiam Phraſin יהיו לתנינים urget ad Exod. VIII, 12. & *virgam* Aaronis eorum *virgas* deglutiiſſe, unde formam illarum æque revera mutatam eſſe colligit atque virgæ Aaronis. Quod ſpeciem habet aliquam. Verum nec inſolens eſt ſacris literis ita res deſcribere uti vulgo videntur, maxime cum aliunde colligi poſſit, illa tantum ſecundum communem loquendi modum ita dici. Similium locutionum exempla ſunt obvia, & ab iis proferuntur, qui ſcripturam, cum ſolem moveri ait, vulgarem loquendi modum imitari contendunt. Ego unicum in præſentia exemplum profero de productione Samuelis a Pythoniſſa, quem verum Samuelem fuiſſe nemo ſanus dixerit; neque tamen id auctor librorum Samuelis monet, cum id tamen, Clerico judice, maxime fieri debuiſſet, quippe multi inter Judæos & ipſe Siracides hac narratione decepti verum Samuelem fuiſſe crediderunt. Sed de hac illuſione poſtea pluribus dicendi locus erit. Id tantum de Clerico monebo, cum ad hiſtoriam Pythoniſſæ Endorienſis ſcribat: *Me quidem quod attinet, vix crediderim phantaſma ullum fuiſſe; quia ſi Deus permiſiſſet cacodæmoni in gratiam fatidicæ mulieris, phantaſmata prophetarum aut alia formare, quibus fallerentur homines & veris etiam prædictionibus allicerentur, ejuſmodi vaticinationibus favere viſus fuiſſet, nec facile fuiſſet veros Prophetas a falſis ſecernere;* me vehementer mirari, cur non eodem modo de miraculis Ægyptiorum ratiocinetur.

§. 9. Ne

§. 9. Ne quidquam prætereamus, quod receptæ ſententiæ pa- §. 9. c.
trocinari poſſit, ad *Bileamum* vatem progredimur, qui licet nulla pa- *Nec Bilea-*
traſſe miracula legatur, nonnulla tamen Deo inſpirante edidit vatici- *mi vatis.*
nia. Unde colligeret aliquis, ſi per impium Deus futura prædixit, idem per Satanam fieri poſſe, ac per utroſque miracula patrari, cum prophetiæ ac miracula pari paſſu ambulent. Impium enim fuiſſe atque idololaram alibi Scriptura aperte docet. Vid Num. XXXI, 16. 2. Pet. II, 15. Jud. v. 11. Apoc. II, 14. quamvis aliquam veri Dei cognitionem habuiſſe non negaverim. Verum hoc exemplo theſis mea non impetitur. Neque enim his vaticiniis quenquam in errorem ſeduxiſſe legitur. Neque indecorum eſt Deo, cujus imperio omnes creaturæ ſubſunt, etiam impiis nonnunquam ad manifeſtandam gloriam ſuam uti. Quæ tanto clarius in hoc vaticinio eluxit, quod Bileamum, qui Iſraëlem diris devoturus venerat, coëgit imprecationes ſuas in benedictiones commutare, unde & iſtud tanquam exemplum inſignis beneficentiæ Iſraëlitis proponitur Mich. VI, 5. Plura admirandæ hujus providentiæ in ſacris reperiuntur exempla, qualia ſunt ſomnium Pharaonis, NebucadNezaris, uxoris Pilati, quibus revelationibus tamen Deus neminem tentavit, nec Satanæ permiſit, ut iis ad deſtructionem regni Dei abuteretur. Imo & Satanam in energumenis Chriſtum confiteri jusſit, ut hiſtoria Evangelica declarat, non ad ſeducendos hominum animos, ſed ut patefieret, ipſum Satanam Dei ac Chriſti ſubeſſe imperio.

§. 10. Ad Pythonis Endorienſis hiſtoriam me confero, quæ §. 10. d.
1 Sam. XXVI. legitur: Ubi Satanas huic fatidicæ diem interitus Sau- *Nec Py-*
lis ac filiorum aperuiſſe vulgo putatur. Quique in ea ſunt hæreſi, *thonis En-*
vel Satanam futura noſſe audacter affirmant, vel hæc mulieri aut *dorienſis.*
Satanæ a Deo revelata eſſe contendunt, ut Saul tentaretur ac ſuo merito in errore confirmaretur. Aſt neutra ſententia παρ ἐμοὶ κριτῇ firmo conſiſtit talo. Primam inter alios tuetur Molinæus in Vate Lib. III. Cap. 1. ubi multa ſcribit Theologo indigna. Licet enim non negaverim, Spiritum hunc malum experientia edoctum ex cœli elementorumve ſtatu ac corporum natura, quædam, quæ nos latere poſſunt, cognoviſſe; miror tamen, virum hunc alias doctisſimum, *Satanam ex aſtrorum aſpectu, vel communicatione cum angelis, vel ſenſu prophetiarum quem optime calleat, vel præſcientia cladium quas Deo jubente infligat, mul-*

ta præſcire, affirmare auſum eſſe. Quid enim ex aſtrorum aſpectu conjiciet? Siccine in aſtris hominum fata delineata ſunt? Hæ voces paganum potius quam Chriſtianum nedum Theologum decent. Rectius de talibus prodigiis & ſignis Auguſtinus: *Non quia valebant animadverſa ſunt, ſed animadvertendo atque ſignando factum eſt ut valerent* de Doctr. Chriſt. lib. 2. Quanta ſit cacodæmonum cum ſanctis angelis familiaritas, ego quidem ignoro, Sacræ ſaltem literæ nihil de hoc commercio memorant. ſenſum prophetiarum quousque calleant, vel an *diſpoſitiones Dei & olim Prophetis concionantibus exceperint & nunc lectionibus reſonantibus carpant,* ut ſcribit Tertull. Apol. c. 22. non determino, aſt multiplicem ei ignorantiam, dubitationem, errores quoque & oblivionem, poſt *Giſb. Voetium Joannes Wayenus* tribuere non veretur contra Beckerum pag. 32. 33. In hac quoque ſententia veteres fuere Chriſtiani. Minucius Felix Octav. cap. 27. *Oracula efficiunt* (dæmones) *falſis pluribus involuta; nam & falluntur & fallunt, ut & neſcientes ſinceram veritatem, & quam ſciunt in perditionem ſui non confitentes.* Clades plagasque per ipſum hominibus infligi a Deo, Scriptura docet; ſed ubi legitur, eas plures annos dieſve prænoſſe? Gratis ergo plura hic finguntur. Neque Satanæ aut mulieri a Deo cladem Saulis revelatam eſſe crediderim, ob ſonticam §. 8. ſupra Clerici verbis allatam rationem. Totum itaque hoc vaticinium, meris conjecturis, viſionem vero ac ſermonem impoſturis Pythonis hujus, poſt Antonium van Dale ac Clericum alioſque tribuere non vereor. Quorum rationes exſcribere non vacat. Attento lectori patebit (1) non fuiſſe hic veram Samuelis animam, quod cum Judæi quidam incaute aſſeruerint, Samaritanis anſam dedere Samuelem ipſum necromantias inſimulandi, ut Relandus in Diſſert. de Samaritanis me docuit. (2) Nec præciſe proxime ſequenti die hanc cladem accidiſſe videri: ſaltem animæ Saulis ac Jonathæ non in eundem abiere locum. (3) Prædicta conjecturis aſſequi haud difficile erat. Sique hic *veritatem oracula tetigere, potuit inter multa mendacia induſtriam caſus imitari;* ut Minucius ait. (4) Neque id ſingulare erat, quod mulier Saulem poſtea demum agnoviſſe ſimulaverit, cum ipſe ſuo ſe ſermone & ſtatura fortasſis procera detexerit v. 10. (5) Denique Saul nihil quidquam vidiſſe legitur, ſed mulier. Vel ſi quid vidit, quod Scriptura non dicit, id a muliere ſubornari potuit, quin & loquela ab alio fraudis

conſcio

conſcio proferri: ut taceam multos אוב & *εγγαςριμυθον* eam quæ ex ventre loqueretur interpretari. Qui אוב ſerpentem reddunt, non ſemper tamen diabolum in his operatum largiuntur. *Wayenus contra Beckerum* pag. 530. *En ſo is* Oobh *de oude Slange, de Satan, of waarlik werkende, of voorgewent van's Duyvels dienaers en dienareſſen.* Et potuiſſe Satanam (quid ni & mulierem?) conjecturis quæ prædixerat aſſequi, ipſamque forte Pythonem, Saulem nihil videntem decepiſſe, gloſſa in bibliis Toſſani inſinuat. Ita ut nullus in hac hiſtoria vel prophetiæ veræ vel vero miraculo ſit locus.

§. 11. e. *Nec Spiritus deceptoris. 1. Reg. 22.*

§. 11. A nonnullis etiam in hanc rem proferuntur ea, quæ Micha narrat 1. Reg. XXII, 19.-22. Vix iſtius loci mentionem feciſſem, niſi Knibbenius in Hiſtoria Prophetarum Achilleum robur ei ineſſe credidiſſet, ut probet Satanæ etiam a Deo occulta ac futura manifeſtari Lib. IV. Cap. 5. §. 9. n. 7. Parabolam hic a Propheta narrari aut viſionem Symbolicam, tam certum eſt, quam quod certisſimum, qualis & Job. 1 & 2. capp. occurrit; tale enim Deum cum Angelis aut Dæmonibus habuiſſe revera conſilium aut colloquium, nemo ſanus dixerit. Et quid quæſo hic Satanæ revelatum eſt? quid prædixere prophetæ inſtigante Satana niſi mendacia ſecundum Jer. 27, 9? quis inde concludet: Deum Satanæ futura revelare ad homines in errorem ducendos? Permittit utique, Satanam pſeudoprophetas ſeducere & per iſtos populum, ſed id circo neque arcanorum ſuorum eum facit participem, neque ſuam potentiam commodat ad patranda opera ſupernaturalia.

§. 12. f. *Nec exemplis e N. T. id adſtrui poteſt*

§. 12. Ex novo denique Teſtamento duo loca objici poſſent. Alter de Simone Mago Act. VIII, 9. 13. Alter de ancilla habente Spiritum Pythonis XVI, 16. Sed quod Simonem attinet, nihil iſthic de ejus miraculis; tantum quod *προυπηρχεν εν τη πολει μαγευων και εξιςων το εθνος της Σαμαρειας*, non ſane veris miraculis, nam data opera addit, Lucas: *λεγων ειναι τινα ἑαυτον μεγαν*, igitur revera magnus non erat operibus, ſed videri volebat. Neque operæ pretium puto, quas priſci Chriſtiani de eo credidere fabulas, refellere. Exemplum vero ancillæ quæ per Spiritum *πυθωνος* Paulum atque Silam *δȣλȣς θεȣ ὑψιςȣ* proclamabat, Theſin noſtram mirifice confirmat, ipſos quoque dæmonas regno Chriſti inſervire debere; tantum abeſt ut Illam evertat. Ac licet hoc divinorum virorum elogium

 ſecun-

ſecundum veritatem pronunciaverit impurus Spiritus, quales tamen fuerint μανʈειαι, quibus antea heris ſuis εργασιαν πολλην παρειχε hæc ancilla, haud memoratur. Sæpius contigiſſe, ut vera prædixerit, ex eo conjicitur, quod alioqui lucrum non attuliſſet heris. Id vero & Cingaris noſtris ſæpe accidit. An inde Satanam futura prædicere colligemus?

§. 13. *Concluſio.* §. 13. Cum itaque omnia quæ e Sacris objici poſſint, diluerim, ſuperfluum eſſe reor, quæ e profanis maximam partim fabuloſis ſcriptoribus adferuntur, examinare. Sic enim non diſſertatio ſed volumen eſſet ſcribendum. Præcipue ſi quæcunque Roma επιτομη της δεισιδαιμονιας de ſuis ſanctorum, reliquiarum, ſtatuarum etiam miraculis fingit, cum iis conferre luberet. Omnia iſta vel fraudibus, vel artibus naturalibus, vel & dæmonis operâ, non tamen miraculosâ, fieri certus ſum; cum *Deus faciat miracula ſolus*, cujus nomen ſit benedictum in ſecula.

Amen.

COROLLARIA
de Reunione Proteſtantium.

1. *SChiſma inter Proteſtantes Eccleſiæ Chriſtianæ nævus eſt, ejus incrementa vehementer impediens.*
2. *Sine cauſa juſta ſeparationem hanc inſtitutam aſſerimus.*
3. *Omni itaque cura in id incumbendum eſt, ut curentur hæc vulnera filiæ Zijonis.*
4. *Qvi hanc unionem impediunt, ſunt Satanæ Miniſtri.*
5. *Nec excuſandi qui hanc rem negligenter tractant, qui enim non eſt pro Chriſto, eſt contra ipſum.*
6. *Hanc reunionem, ſi debito modo quæratur, in ſe eſſe poſſibilem ſtatuimus, niſi vitio hominum reddatur impoſſibilis.*
7. *Duæ tantum ad hanc reconciliationem ſunt viæ, vel ut omnes in articulis controverſis eandem amplectantur ſententiam, vel ut quævis disſidentium pars ſuis inhærens ſententiis, alteram tamen fraterno complectatur amore. Priorem appellabimus Viam* conformitatis omnimodæ; *Alteram vero* Viam Tolerantiæ.

8. Prio-

8. *Priorem Viam omnino impossibilem esse statuimus, aut si quoad externa possibilis reddatur, esse tyrannicam sive Papalem.*

9. *Quod ut pateat, considerandum est,* omnimodam conformitatem *iterum duplici modo quæri posse: Vel per viam* demonstrationis ad conscientiam *s. persvasionis, Vel per Viam* auctoritatis s. coactionis; *auctoritas enim humana & coactio eadem sunt, licet gradu differant.*

10. Via auctoritatis *per ipsa Protestantium principia eliminari debet, cùm & sacris literis & sanæ rationi contrarietur: neque, si ea locum habuisset, unquam contra abusus Papales protestari licuisset.*

11. Via demonstrationis ad conscientiam, *quamvis semper calcanda sit, ea tamen omnes & singuli de veritate hujus aut illius controversiæ convinci nequeunt neque illud quoad omnes controversias necesse est.*

12. *Ratio duplex est, altera a parte rei seu objecti, altera a parte personarum seu subjecti recipientis.*

13. A parte rei *obest, quod nonnullæ controversiæ captum humanum excedant, ut sunt e.g. abyssi consiliorum divinorum, quorum* βαθη *Paulus ipse ignoravit: quodque in multis non nisi* εκ μερȣς γινοσκωμεν, εκ μερȣς προφητευωμεν.

14. A parte subjectorum *obstat, quod multi sint inter Christianos* νηπιοι *s. infantes, quorum cognitio infirma est.*

15. *Nunquam ergo in his terris obtinebitur hæc* omnimoda conformitas, *nisi ultimis temporibus omnes sint* τελειοι *futuri.*

16. *Neque unquam talis conformitas in ulla Christianorum secta ubicunque terrarum exstitit; ita ut Reipublicæ Platonicæ merito illam comparemus.*

17. *Sola itaque restat* Via Tolerantiæ.

18. *Per* Viam Tolerantiæ *non intelligimus illam, qua dissentientibus aëris atque communis matris terræ usum concedimus, atque a persecutionibus abstinemus. Istam enim tolerantiam etiam Judæis & Muhammedanis debemus.*

19. *Sed per* Tolerantiam *hic in sensu strictiori intelligimus fraternam cum fratribus dissidentibus communionem* externam *atque* internam, *qua in rebus fidei fundamentalibus uniti, errores in rebus non fundamentalibus toleramus.*

20. *Hæc tolerantia in ipsis S. literis jubetur Rom. 14, 1. Phil. 3, 15.*

21. *Hæc Tolerantia inter Protestantes, in se omnino possibilis est.*

22. *Articuli inter Protestantes controversi non evertunt unicum fidei fundamentum, quamvis alterutra factio in errore sit.*

23. *Quamvis ex alterutra sententia consequentiæ necti possint, fundamentum fidei evertentes, illæ tamen consequentiæ si ore atque praxi ab iis refutentur, illis imputari nequeunt.*

24. Perti-

24. *Pertinacia in errore vel levissimo quamvis sit error fundamentalis, de ea tamen non homo sed solus Deus judex est.*

25. *Tolerantia talium errorum per se non fundamentalium, fidei unitati nihil officit.*

26. *Neque illa cum veritatis dispendio conjuncta est, sed errantes Christiana caritate tolerat.*

27. *Imo & ad detegendam veritatem conducit, qua velo auctoritatis humana nonnunquam tegitur.*

28. *Hac Tolerautia iisdem mediis reducenda est, quorum neglectu Schismata inter Reformatos s. Protestantes irrepserunt.*

29. *Causa Schismatum inter Prosestantes, ut ingenue dicamus, fuere affectus humani.*

30. *Hi affectus si abnegentur, reunio per tolerantiam facillima foret.*

31. *Qui tamen illam impediunt, sunt αὐτοκατάκριτοι neq; judiciũ Dei effugient.*

32. *Neque tamen & hi pacis turbatores cogi vi armata vel brachio seculari debent, ut tolerantia tali subscribant: sed judicio Dei relinquendi sunt.*

33. *Impediri tamen possunt ac debent, ne convitiis, pacis amantes proscindant, aut gravius quid in illos decernant.*

34. *Quamvis nec inter Reformatos hi pacis turbatores defuerint, eos tamen quoad maximam partem Lutheranis in amore pacis palmam praripuisse sine jactantia defendimus.*

35. *Quod vel ex eo apparet, quod vix Theologus inter Reformatos extiterit unquam, qui Lutheranorum errores esse exitiales pronuntiaverit; multi vero ab alia parte fuerint sintq́: etiam nunc, qui Reformatos ad Orcum relegare non erubuere.*

36. *Quod cum vir sapiens ita interpretetur, ut eos Christi regulam magis observare credat qui caritatem magis demonstrant; sunt tamen, qui inde efficere populoq́; persuadere nituntur, tutiorem esse viam ad salutem si eos Duces sequamur, qui alios condemnant, a quibus tamen ipsi non condemnentur.*

37. Hoc *argumentum vulgo licet videatur speciosum, perinde tamen est ac si quis ita ratiocinetur: Hic Seplasiarius suam tantum commendat panacaam, si aliis medicinis utamur nobis moriendum pronuntiat. Medicus vero, quamvis in panacaa seplasiarii multa peregrina sint admixta, posse tamen conducere ad sanitatem concedit. E. cum Medicus non condemnet Seplasiarium, sed Seplasiarius medicum, hinc tutius erit sequi consilium seplasiarii.*

38. *Quamvis, ut directe respondeamus, in rebus fidei non niti debeamus hominum suffragiis: Et Res ad salutem necessaria secundum omnium Protestantium hypothesin & Sacrarũ literarũ monita a quovis fidelium dijudicari possint ac debeant.*